



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

1. Quarè Christus ascenderit in coelos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

ASCENDIT AD COE.

los, sedet ad dexteram Dei patris.

CAPVT XXX.

ARGVMENTA.

1. *Quare Christus ascenderit in caelos.*
2. *Quomodo sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis.*
3. *Quid iam faciat in caelis.*



I.

Rimò, vt iterum declaretur & mōstraretur eius diuinitas, Christus ascendit in cœlū videntibus discipulis, Acto. 1 vt sicut resurrectionis eius testes, ita & ascensionis, quatenus certificarent totū mundū, Christum esse filiū Dei & iā in cœlo, nempe resurrectione & ascensione eius: hanc rationē tangit ipsemet Christus Ioan. 3. vbi inquit: Nemo ascendit in cœlū, nisi descendit de cœlo, id est, propria autoritate & quædam diuina, nemo ascendit in cœlū, sicut solus vnicus Dei filius, qui seipsum exaltauit & cœlos ascendit: nemo iustus & sanctus natura sua ascendit, sicut Christus qui est solus Dei iustus & sanctus: & quotquot cœli ascendunt, per ipsum & in ipso oportet ascendere. Filius igitur Dei qui descendit de cœlo, ascendit cœlos cum humanitate, quam ab homine, id est, virginis Maria accepit: ideò se dicit filium hominis. vt igitur notū fieret mundo, Christum esse filiū Dei, & de cœlo descendisse: hodiè iterū ascendit secundū humanitatē. Verbum enim, id est, diuinitas Christi, semper fuit in cœlo, & est vbiq;. Sic dicitur Psal. 46. Ascendit Deus in iubilo, id est, gaudio in cœlum, & Dominus in voce tubæ, id est, potentia magna: quia nihil eum poterat impedire, non homines Iudæi, nec

mors,

mors, non peccatum, nec sathan: sed tanquàm victor & dominator omnium horum ascendit. Nulla creatura cum impedire potuit, non tamen sic ascendit, quòd non velit esse nobiscum, quia dicit Matth. ultimo: Ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi & cæt, sed præsentiam corporelem cum lineamentis suis & visibilem formam subtraxit, vt in cœlum post eum æstuaremus, & mundi præsentia gaudia paruifaceremus, vt in cœlo accipere possemus quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, sicut ait Esai. 64.

Secundò, quomodò sedeat ad dexteram patris sui, 2. David propheta Psal. 109. declarauit inquit: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, id est pater dixit filio incarnato in ascensione post victoriam mortis & peccati ac sathanæ, sede, id est, Esto rex & Dominus super omnia, sicut ego. Igitur sedere ad dexteram patris, est omnem potestatem habere in cœlo & in terra: & sic Christus nunc est Dominus & rex omnipotens constitutus à patre, cui omnes creature in cœlo & in terra subiectæ sunt, angeli, homines, demones, visibilia & inuisibilia. Dexteram in scripturis potentiam significat: & hanc sententiam seu auctoritatem Dauidis Christus de se fore intelligendam, quod esset Deus, allegat Pharisæis Matth. 22. & Apostolus ad Hebr. 1. dicit: Nulli angelorum, sed Christo dictum soli, sede à dextris meis. Sic igitur hodiè factus est à DEO patre Dominus super omnia Christus, hoc est, iuxta eius humanitatem: Est enim Deus & Dominus omnium ab æterno, sed secundum humanitatem & naturam quam hodiè exaltauit: & sic secundum illam hodiè accepit nomen, quod est super omne nomē, Regis, Domini dominantium & cæt. & vt in hoc nomine Iesu omne genu flectatur, & omnis lingua confiteatur quoniam Dominus IESVS est in gloria DEI patris, id est,

Y 2 æqualem